

# Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 102

In nomine patris et filii et spiritus sancti sit pax et gaudium omnibus pacem et veritatem diligentibus, conversio et correctio veritati et iusticiae obnitentibus. Quoniam rerum et eventuum multimodis variatur inaequalitas et de instabilitate semper est suspecta posteritas, idcirco quod modernis geritur temporibus prudenti consilio est agitandum et, ut incon vulsum ratumque permaneat, firma et nodosa est astipulatione roborandum. Huius rei gratia ego Liutboldus divina miserante gratia Mogontinae sedis archiepiscopus huius testamenti cautione notum volo fieri tam modernis quam posteris tributo mortalis vitae obnoxiiis, qualiter consensu et auctoritate serenissimi regis nostri Heinrichi quarti, consilio et assensu fidelium nostrorum tam clericorum quam laicorum comprobavimus et suscepimus petitiones viri venerabilis Meinheri abbatis Heresfeldensis aeccliesiae inter professores et rectores cenobialis vite auctoritate dignissimi, quibus deposcebat, ut liceret ei bonis suis recompensare et pacificare omnes proclamationes synodales, quas corepiscopi et advocati nostri habebant super terminos et decimas ad suam aeccliesiam pertinentes. Nos autem christianae pacis amplectentes quietem assensum, ut predictum est, eius prebuimus petitionibus, ita dumtaxat, si ita vellet recompensare, ut utrique parti videretur aequabile. Habitis vero pluribus hinc inde consiliis tandem in hoc consensimus in unum, quod ipse tradiidit per manum advocati sui Udonis aeccliesiae sancti Martini Mogontie quicquid Heresfeldensis aeccliesia habebat in villa quae dicitur Einlohun et in Liudenhouon et in Scornesheim aeccliesiam et quicquid ibi habebat cum mancipiis et omnibus quae illuc aspiciunt, exceptis duobus clericis, quorum unus dicitur Razman, alter Wolman; tradidit etiam unnum mansum in Buodenheim. Predicta ergo loca confirmavit aeccliesiae nostrae eodem iure et eadem lege qua ecclesia sua habuit in silvis, in agris, in pascuis, in aquis cum mancipiis et omnibus apendiciis et utilitatibus, eo videlicet pacto et tenore, ut his bonis sit recompensatum et perpetualiter pacificatum quicquid nos et corepiscopi et advocati nostri synodaliter habebamus proclamare super decimas et terminos aeccliesiarum in locis quae ita nominantur: Loubahc, Oteraha, Grabenowa, Gruose, et ut terminatum sit litigium quod erat inter aeccliesiam de Oteraha et Heidilbahc, et ut nos recompensemus quod comes Herimannus et eius coheredes vel successores iuste proclamandum habebant super ecclesiam de Heidelbahc, et ut de cetero perpetualiter terminatae sint omnes synodales proclamationes, quas nos et corepiscopi et advocati nostri hactenus habebamus super omnes decimas quas Heresfeldensis aeccliesia habet in regione Francorum, et ut ratum firmumque sit concambium de Widenrode, quam villam praecepto nostro tradidit Heresfeldensi aeccliesiae advocatus aeccliesiae nostrae Sigebodo, pro quo concambio suscepit idem Sigebodo in proprietatem aeccliesiae nostrae aeccliesiam de Scornesheim cum omnibus quiaae in eadem villa vel illuc aspicientia habebat Heresfeldensis ecclesia. Ut autem rata sit recompensatio predictarum decimarum et comcambium prediorum perpetuo temporum processu apud omnes Mogontinae sedis archiepiscopos et eorum advocatos et apud omnes Heresfeldensis aeccliesiae abbates eommque defensores, decrevimus communi assensu pactiones nostras primum ut oportet ecclesiastica, dein ingenua Francorum lege taxatas et firmatas apicibus annotari et firma testamenti cautione roborari, subinde inscribi advocatos, traditores et testes et sic demum adhibitis omnibus quae stabilem firmitatem possunt prestare et mutationem devitare signari precepimus sigilli nostri impressione. Si quis vero successorum utriusque partis quae nunc acta et pacta sunt inter nos attemptare presumpserit aut revellere temptaverit, violatam ecclesiae pacem gehennalibus incendiis

luat et quod repetit nequaquam optineat, sed traditio et pactio nostra stabilis perpetuo maneat et fixa legitima auctorum, traditorum et testium stipulatione subnixa, quorum signa et nomina subter videntur ascripta. Primus auctor et firmator et testator huius pactionis et testamenti ego Liutboldus dei gratia Mogontinae sedis archiepiscopus, dein domnus abbas Heresfeldensis ecclesiae Meginherus. Testes vero hi sunt: Embricho archiprepositus, Hildelinus camerarius, Bernhardus coraepiscopus, Arnoldus corepiscopus, Razo, Hunberdus, Diemo, Thidoldus, Geroldus. Laici testes hi sunt: Sigebodo urbis comes, Udo advocatus abbatis, Gerlahc, Willihelm, Diedo, Cuono, Folcmar, Meingoz, Babo, Willihelm, Sigewerc, Sigefrit, Adelbraht, Buobo, Adelbraht, Sigebodo, Odelrihc, Heinrihc, Heriman, Eberhart, Heriman, Wortwin, Godefrit, Engilbrath. Acta sunt haec publice apud Mogontiam precepto serenissimi regis Heinrici quarti et consensu venerabilis archiepiscopi Liutboldi et domni abbatis Meginheri, anno ab incarnatione domini MLVII, indictione X, VI. kal. septembris, regnante eodem serenissimo rege Heinricho quarto anno primo regni eius.